

X 2120606

Z f
416

3



ΓΑΤΚΕΡΩΤΙΣΤΑΤΡΩΣΙΣ.

Sive

Iucundum Amoris suspendium,

Quod

In sacram Papae memoriam,

In matrimonii dignitatem,

In nuptiarum solennitatem,

Præcipuè vero

Reverendo, humaniss. & doctiss. viro,

M. IOHANNI

TEVBERO, Ecclesiæ Christi

apud Cizenses ad S. Michael pastori

vigilantis. SPONSO.

&

Lectissimæ, pudicissimæq; virgini

MAGDALENÆ,

Prudentiss. & Ornatiss. Viri Dn. MICHAELIS

RUTAE, inter Senatores Reip. Cizensis præci-

pui filia, SPONSÆ.

XII X Calend. Octob. Affinitatis & boni ominis

1918 ergo decantabat J 125

Christianus Podenstein, Scholæ VVitzleb, quæ

est Roslebbii ad Onestrum, Rector.





CANON.


Sacerdos ducens uxorem suspendatur.

Ex Cano. IX. Concil. Trident.

Si quis dixerit, Clericos in sacris ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, anathema sit.



BIBLIOTHECA
MUNICIPALIS





H *En duram sortem, & sortis crudelia fa-
Et fata extremis annumeranda malis! (ta,
(Namq; quid est aliud, quod jam exclamare
queamus,*

*Cum fors, cum fatum, cum nece mixta fluant)
Nempe sacerdotes censura exercet, & instat
Nex, si Conjugii sacra subire parant.
Terminus hic haeret, statq; hac sententia constans,
Quam Papa veridico protulit ore pater.
At quisnam posset Romano oppedere curto,
Atq; Papae leges quis violare queat?
Unde male hei timeo, quanam fortuna sit anceps,
Nostro & quae Sponso sint subeunda mala.
Nam quia constanti profitetur corde Lutherum,
Atq; fide Justos nos docet ante Deum.
Et veteres avias Meriti è pulmone revellit,
Scripturamq; jubet Judicis esse loco.
Nec caelum Venale facit, nec vertice raso
Ferre Cuculligeris fratribus optat opem.
Nec veniam Indulget nummis, nec somnia Vendit,
Nec Purgans animas excoquit igne novo.
Nec vult Conjugii tædis aspergere virus,
Sed thalamum, & thalami pignora casta probat.*

A 2

Jamq;



Jamq; adeo thalami lectum feliciter intrat,
Atq; ibi sociam jungit amore pari.
Hei vereor, ne disrumpat Pater ilia castus,
Qui sine coniugio vult pater esse patrum.
Proptereaq; graves Sponso denunciaret iras,
Inq; thoro junctos fulminis igne petat.
Parce tamen, Pater ô, paulum mitissime parce,
Mox supplex tanget Sponsus utrumq; pedem.
Et fiet Capucinus, & effigiem ore cupito
Attrectans votis oscula mista dabit.
Imò recantabit, quâ sacras Magdalis aras
Suscitat, & poscit thura, precesq; focis.
Scilicet hæc fient. Noctem non amplius unam
Indulge, & citò cras, virgo hodie, uxor erit.
Interea cantabo Patris sententia quæ sit,
Quæq; sacerdoti pœna luenda fiet.
Territus ut Sponsus cupidis desistat ab ausis,
Aut duplicet pœnas pro merito ipse suo.
Vos precor Aonides paulum aspirate canenti,
Hisq; fave ceptis tu Genialis Amor.

Viderat eximiam juvenali in flore puellam
Mystes, dum populo pandit ad astra viam.
Viderat, & tacitos secum conceperat ignes,
Senserat inq; imo corde quid esset Amor.
Sic igitur secum. Quid ago sine compare solus?
Quid juvat hic vitam degere more feræ?

Conjugium.



Conjugium res sacra Dei est. Deus omnibus ortum,
 Duci à conjugio, non aliunde, probat.
 Conjugibus primis Auræ fax prætulit omen,
 Et Sponsis dixit, dicit adhucq̄ benè.
 Et Christus largis Achelonia temperat uvis
 Pocula, & hic Sponsam diligit usq̄ suam.
 Cur igitur solus sic vivo, & solus oberro?
 Cur non Conjugii jura, fidemq̄ sequor?
 Et mihi Conjugium indictum est, & ventilat ignes
 Intus, & ardorem suggerit ipsus Amor.
 Et mihi sunt vires, & me jubet esse maritum,
 Vox sacra, & domui rite præesse jubet.
 Non ego sum cultor Maõsi, conjugis osor,
 Sub corde impurum non ego vulnus alo.
 Non de recto rosam vallatam carpere spinis,
 Non ego de vito junctam in amore Crucem.
 Crux comes est fidei, schola fit pietatis, amoris
 Hortus, Virtutum fax, & origo precum.
 Hæc quia sunt, ut sunt, facilem exorabo puellam,
 Sic junctus thalami lege maritus ero.
 Ast timeo, & votis obstat Reverentia Patris,
 Hanc qui doctrinam Dæmonis esse docet.
 Qui docet. At taceo. Quid enim sunt jurgia tanti?
 Et brutum Fulmen, quidq̄ anathema nocent?
 Ringatur: modo non ringatur amica puella,
 Copulat hæc pectus si mihi dulce, sat est.




Scriptura haud fallit, sed Lex Romana fefellit,
Hinc faciam, mandat quod facere ipse Deus.
Crescere, per totamq; genus diffundere terram
Hic jubet, haec itidem sunt quoq; dicta mihi.
Sic ait, Et sociam tentans sibi jungere, honesto
Exemplo Mystæ quæ facienda docet.

Extemplo totum vulgatur Fama per orbem,
Et quæ facta sient, quæq; futura canit.
Esse sacerdotem haeretica de gente Lutheri,
Cui placeant casti vincla sacra thori.
Vivere qui nolit cum semiviro comitatu,
Qui castrare suas nolit ab ense preces.
Quiq; Culinare Veneris despectet amores,
Et cupiat Leges annihilare Papæ.


Tum verò exardet dolor ingens osibus, atq;
Stare loco nescit, sed tremulo ore Papæ.
Concilium vocat horrendum, Et demurmurat intus
Secum, qua feriat lege, modoq; Reum.
Olli tecta viis veniunt ad splendida plenis,
In foribus Romæ quos stabulare juvat.
Advenit audaci tentans supponere naso
Coelum, qui centum murmurat esse Deos.
Quiq; Creatorem rursus creat omnibus horis,
Et qui scripturam corrigit, atq; novat.

Qui




Qui reserat coelos, animas quiq; evocat Orco,
 Qui meritis superavit super astra gradus.
 Stigmata quem decorant, fraterq; pediculus ornat,
 Linigerumq; genus, funigerumq; genus.
 Atq; alios taceo, (quis enim comprehendere versu
 Posset concilii curto in honore patres)
 Omnibus his torvum pallorem afflaverat ipsa
 Invidia, & flammis Ira, furorq; dabant.
 Protinus assurgens distorto Pamphagus ore,
 Intonat, & crimen sesquipedale refert.
 Nempe sacerdotes thalami sibi poscere jura,
 Et jam Conjugii dulce subire jugum,
 Sedis Apostolicae immemores, sanctaeq; Culinae,
 Nil curare Papam, sacraq; sacra Papa.
 Et quae vita foret? quis deinde Seraphicus ordo?
 Quis velit esse spado? quis velit esse capo?
 Quis vel remicola, aut quis vellet Origenis esse
 Frater? quis sacras ante sedere fores?
 Quisve meretriculas curaret, quisve Lupanar?
 Quisve sororiculis ferret amicus opem?
 Ergo occurre malo nascenti, Oculissime, acutum
 Qui cernis, sacrum tangis & omne, Pater,
 Non etenim frustra sacrato in colle Lupercal
 Te sacro osorem Conjugii esse jubet.
 Sic ait? Assensere patres, nutuq; loquaci
 Effatae haec eadem vota dedere nurus.

Tum



Tum pater accensus verba indignantia volvit,
Atq; crucem attollens cyclade verrit humum.
Anné sacerdos, anné sacerdos, anné sacerdos
Audeat: Au thalami sacra parare deat?
Nec nostram aut sedem, aut veneratur numina nostra
Nec vult, quod volo ego, quod jubeoq; jubet?
Ferte citi flammis, date tela, incendite lectum,
Hei pereat Conjux Clerus ubi esse cupit. (aurem
Quid loquor: aut ubi sum: cur non mea fulmina ad
Vibro? cur cessat nunc Anathema meum?
Quos ego. Sed præstat cordis compescere fluctus,
Ne mundi pereat, me pereunte, caput.
Imo age, sancte Pater, quæ sit sententia mentis
Dic modo, quæq; velis morte, perire virum?
Lex ergo sit firma: Sacerdos suspendatur
Vxorem ducens, hoc jubeo, atq; volo.
Hæc Pater, infrendetq; minasq; Papaliter addit,
Fulminibusq; armat Servum Anathema novis.
Scinditur extemplo studia in contraria Clerus,
Nec quæ lex jubeat concita scire cupit.
Hinc alia in verbis aliam fallacia trudit,
Hic sensum affingit, fingit & ille novum.
Præcipui, & quorum melior sententia menti est,
Hei legis rigida de feritate dolent.
Hinc igitur quærunt, quid sint suspendia? pœnam
Officii esse volunt, corporis esse negant.


Suspendatur



Suspendatur ab officio quare ille Sacerdos,
 Qui vult Conjugii per mare vela dare,
 Ergò sibi legat exilium, Phœbiq, sub axe
 Sollicitet dubias in sua vota Nurus.
 Aut petat extorris sanctarum claustra sororum,
 Aut horas voti compleat ante focum.
 Quidlibet audendi data sit per amica potestas,
 Dummodo Conjugium nullo in honore locet.
 Hoc placet, arridet sententia Mitior ista,
 Quam tacito assensu Thestylis ipsa probat.

Ecce autem in medium surgens, & lumine toruo
 Aspiciens, turbam concitat Ales Amor.
 Nanus amor, non jam nanus, sed sævus, & almæ
 Justitiæ vindex, servus & Eunomiæ.
 Atq, ait, ô quænam vexat vesania mentes?
 Sensum hujus legis num variare licet?
 Anne Papæ menti licitum est affingere mentem?
 Quin, ut verba sonant, sic quoq, pœna cadat.
 Nempe Sacerdotes de collo suspendantur,
 Hæc mihi lex sacra est, hanc cupio esse ratam.
 Inquisitor ero Legis, rigidusq, satelles,
 De collo ut Mystes pendeat ipse volo.
 Est mihi, sitq, precor, claræ in Germanidos oris,
 Saxonie observat culta ubi C I Z A Duces,
 Est mihi T E U B E R U S, præclarus ab arte Sacerdos,
 Huic quoq, legitimi Conjugii ordo placet.

B Ergò



Ergò sibi elegit florenti etate puellam,
Quam pudor, & pietas, & Charis ipsa probant.
Hujus RUT A pater, materq; HEILANDIA vivunt,
Estq; suis titulis utraq; fulta domus.
Ast avus ille GEORG IUS est, post funera vivum,
Quem servat Memoris matris honora cohors.
Quiq; Evangelicæ PLAUENSI primus in urbe,
Doctrinæ affector rexit ovile Dei.
primus & hic duxit, me sic suasore, Sacerdos
Uxorem, & rupit sacra statuta Papæ.
Hac quoniam elegit sibi Sponsam à stirpe Sacerdos,
Exsolvet pœnas, lege jubente, graves.
Hæc Amor, & cursum accelerat, comitantur euntem
Deliciæ, & cingunt hinc Focus, inde Lepos.

Illa forte die, sacris de more peractis,
Lustrabat Sponsus vimq; fidemq; thori.
RUT A placet, RUT AE laudes decantat, in ore est
RUT A. Quid! in toto pectore RUT A viret.
Continuo invadit. Tu nunc connubia speras?
Atq; in amore tibi RUT EA virgo placet?
Hei Jovis Imperii, rerumq; oblite tuarum,
Nonne Sacerdotem te meminisse decet?
Nec quæ circumstant te mille pericula sentis?
Nec quæ pœna tibi sit subeunda times?
Quare age, dede manus, dabis, audacissime, pœnas,
Ut discas, quid sit ledere velle Papam.

Hæc



Hæc Amor. Extemplò geniale examen Amorum
Sponsum in vincula petit, colligit ille manus.
Ille pedes captat, pectus transverberat ille,
Huic placet ingenua voce movere jocos.
Ast alii attollunt formoso pectore Nympham,
Quæ postquam Sponsi constitit ante pedes,
Tunc Amor, heus, inquit, dilectis roboribus CRUX
Hæc tibi fatalis, hæc tibi pœna venit.
Tolle moras, conscende Crucem, quæ brachia pandit,
Quæ de carne tua est, quæq; os ab osse tuo.
Hæc mea CRUX non ex ligno, sed Numine dextro
Ex costa primi est effabricata viri.

Quid faciat Mystes? sentit sub pectore flammæ,
Vulnus alit venis, instat, & urget Amor.
Adspicit, atq; Crucem ter & amplius admiratur,
Atq; horam pœnæ poscit adesse brevi.
Imò ducite, ait, pœnam non deprecor istam,
Serica vincula sunt, quæ mihi neçtit Amor.
Tu verò, ô mea CRUX lætissima suscipe lætum,
Ulterius cœlebs vivere quis cupiat?
Vixi, & quam posuit metam vita ista peregi,
Dulce erit in thalamo, morte vocante, mori.
Tempus erit, cum laudabunt mea fata Nepotes,
Atq; Crucem dulcem me superasse patrem.
Exemplumq; petent, thalami ut sectentur amores,
Atq; sacerdotum de genere esse velint.

B 2

AT



At tibi, sancte Pater, potero quas dicere grates,
 Qui me sic tollis, lege tuaq; beas:
 Tu tradis morti, rursus morti eripis, imò
 Quàm magis ipse nocet, tam magis ipse juvas.
 A te suspendor, vivo suspensus amore,
 Suspensum in thalamo respice, queso Pater.
 Diu tibi dent bullas, Et in urna perpetuum jus,
 Qui decoras tanta commoditate thorum.
 Plura quidem Sponsus: sed Amor, quæ causa moran-
 Non sic effugies. Imò, Vesper adest. (di:
 Tum Sponsus, quamvis media jam morte tenetur,
 Adspicit usq; tamen, corde tremente, Crucem.
 Tandem, ducite me, sequor, Et quo ducitis assum,
 Pro meritis pœna hæc est superanda mihi.
 Vix ea, mox comprehendit Amor, venit horula, Et inquit,
 En meus es, vincla hæc suscipe, tende manus.
 Scande thorum, conscende Crucem, per amabile fatum
 Instat. Nox tibi erit dulcior ista die.
 Te jungo Uxori, vinclisq; tenacibus arcto,
 Pende, tibi thalami quando ita vincla placent.
 Hic vos connubio, sociali fœdere,necto,
 Vos, nisi Mors tandem, solvere nemo potest.
 Hæc Amor, Et Sponsum Sponsæ suspendit ab ore,
 Corde, Oculis, Collo, Pectore, Mente, Fide.
 Plaudit Amor, justamq; probat sub Judice causam,
 Exemplum utq; petat cætera turba monet.

Sic



Sic igitur pendet Sponsus, suspensus ab ore,
 Corde, oculis, collo, pectore, mente, fide.
 Suspicit & cœlos, oculisq; rigentibus optat
 Lucem, ut proveniant sic quoq; sæpè dies.
 Applaudunt omnes, suspendia talia laudant,
 Qui cor habent fictum de meliore luto.
 Et Jocus, o talis tali sub vindice causa,
 Si mihi, & hæc itidem pœna parata foret,
 Patrem exorarem Patrum, ut sub nocte quietæ
 Conjugii leges poneret usq; novas.
 Nempe Amor, ut toties quoq; me suspenderet, orto
 Sole, à complexu conjugis, ore, animo,
 Sub noctem quoties Sponsus de lege loquetur,
 Et glossas fingit Sponsa quot ipsa novas.
 Interea optamus prosperrima fata, beatum
 Conjugium, & plenam prole recente domum.

F I N I S.






L I P S I Æ,
TOBIAS BEYER EXCUDEBAT,

Anno M. DC. XII.





Don. Z / 4 16.
Q K



W 17



X 212

f
16
23



ΓΑΤΚΕΡΩΤΙ
Si
 Iucundum Am
 In sacram Papa m
 In matrimonii dig
 In nuptiarum sole
 Præcip
 Reverendo, human
 M. IOH
 EVBERO,
 apud Cizenses ad
 vigilantiss.
 Lectissimæ, pud
 MAGD
 Prudentiss. & Ornatiss. V
 RUTAE, inter Senato
 pui filia,
 XII X Calend. Octob.
 1918 ergo de
 Christianus Podenstein
 et Roszelebi ad O

